



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Acta Synodalia Osnabrvgensis Ecclesiæ, Ab Anno Christi  
MDCXXVIII.**

**Brogberen, Johannes**

**Coloniæ Agrippinæ, 1657**

Contra Violatores immunitatum & Dotum Ecclesiarum. 3

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14298**

in Civitate committatur) singulis diebus Dominicis & Festivis excommunicati publice & nominatim, si eorum nomina sciri poterunt, alioqui in genere, nuncientur. Si injuria extra Civitatem committatur, similiter denuncientur per omnes Ecclesias, Conventuales, Parochiales, ac Capellas Decanatus illius, vel etiam Archidiaconatus, in quo hoc contingit. Ita tamen, quod nihilominus ad denunciacionem eorundem, pro ipso forefacto ubicunque commisso, & intra Civitatem & extra, ultra procedatur per loci Ordinarium, prout hoc visum fuerit expedire. Si vero dicti sacrilegi, per mensem, hujusmodi denunciationem sustinuerint, minime satisfacientes, ex tunc singulis diebus Dominicis & Festivis, campanis pulsatis & candelis extinctis, per omnes Ecclesias Conventuales, Parochiales & Capellas Civitatis (si in Civitate contingit) seu Decanatus vel Archidiaconatus illius loci, excommunicati publice nuncientur; sicut de incendiariis Ecclesiarum est praemissum. Et, si per sex menses in Excommunicatione contumaciter persistent, si habent Districtus, illi sint ex tunc interdicti: aliorum autem, districtus non habentium, domini moneantur; & procedatur sicut superioris de injectoribus manuum continetur.

Forefactum, pro maleficio sumitur. Excommunicatos denunciandi quis olim mandus.

Quod si per dimidium annum in Excommunicatione persistenter, hujusmodi Denunciationibus vilipensis, si Laici Nobiles fuerint hujusmodi sacrilegium committentes, Terra eorum & Districtus, si eos habuerint, ipso facto Ecclesiastico suppositi sint Interdicto: quod nullatenus relaxetur, nisi de commisso fuerit legitime satisfactum. Si autem fuerint alii quam Nobiles, domini Terræ, in quorum Districtibus manent, ex tunc moneantur per loci Ordinarium, ut dictos sacrilegos compellant per Bonorum, quæ in suis habent districtibus, subtractionem, vel quemcunque alium modum, ut ipsi sacrilegi satisfaciant, & Absolutionis Beneficium requirant. Et, si ipsi domini in hoc negligentes fuerint, ex tunc per Loci Ordinarium excommunicentur: quod si sustinuerint animo indurato usque ad annum, ex tunc Terra eorum Ecclesiastico sit supposita interdictio. Salvis penitentiis contra delinquentes hujusmodi & participantes constitutis; ad quas procedant nihilominus, prout hoc visum fuerit expedire.

## II. *Contra incendiarios & effractores Ecclesiarum & Monasteriorum, & Bonorum Ecclesiasticorum.*

Contra incendiarios autem & effractores Ecclesiarum & Monasteriorum, cum ipso facto sint excommunicati, eodem modo procedi statuimus & mandamus; adjacentes, ut, si habuerint terram vel districtum, illa, post tres menses a tempore perpetrati criminis, Ecclesiastico supposita sint interdicto. Cum autem incendiarii aliarum rerum & Bonorum Ecclesiarum & Monasteriorum, sint, tanquam sacrilegi, excommunicandi: statuimus, ut tales moneantur nominatim (si eorum nomina

sciri potuerint, alioqui in genere,) per Ordinarium loci, in quo committi contingit hujusmodi forefactum, ut intra septem dies à die monitionis satisfaciant: alioqui idem Ordinarius ex tunc sine dilatione ipsos excommunicet, & excommunicatos denunciet, & faciat denunciari in locis ubi hoc visum fuerit expedire; ita quod, nisi intra quindenam à tempore excommunicationis & denunciationis <sup>Quindens</sup> faciat, ex tunc singulis diebus Dominicis & Festivis, campanis pulsatis & candelis extinctis, per omnes Ecclesias Conventuales, Parochiales & Capellas Civitatis (si in Civitate contingit) seu Decanatus vel Archidiaconatus illius loci, excommunicati publice nuncientur; sicut de incendiariis Ecclesiarum est praemissum. Et, si per sex menses in Excommunicatione contumaciter persistent, si habent Districtus, illi sint ex tunc interdicti: aliorum autem, districtus non habentium, domini moneantur; & procedatur sicut superioris de injectoribus manuum continetur.

## III. *Contra violatores immunitatum & dotum Ecclesiarum.*

**S**TATUIMUS item de his, qui violent Ecclesiarum immunitates seu Dotes, ut violatores hujusmodi, videlicet qui hominem de immunitate seu dote extrixerint, vel aliam rem abstulerint, vel modo alio eam presumperint violare, quos tanquam sacrilegos in his scriptis excommunicamus, simili modo quo diximus de incendiariis Bonorum Ecclesiarum, publice excommunicati denuncientur. Et, si plures fuerint, vel judex secularis sit, qui hujusmodi violentiam fecerint, locus in quo tales domicilium habuerint, sit ipso facto interdictus: & in loco, ubi immunitas lœsa est, cesseretur à Divinis.

## IV. *Contra raptiores & invasores Bonorum Ecclesiarum & Ecclesiasticorum personarum.*

**A**TQUE ad reprimendum importunam præsumptionem raptorum, prædonum & invasorum Bonorum ac rerum Ecclesiarum, Monasteriorum, & Ecclesiasticarum personarum: statuimus, ut quilibet locus seu Parochia Nostræ Civitatis vel Diecesis, ad quem vel ad quam ipsi raptiores, prædones & invasores pervenerint, seu præda, spolium vel rapina deducta fuerint, vel ubi præda ipsius emptor fuerit, ipso facto sit Ecclesiastico suppositus Interdicto: & quamdiu ibi fuerit, cessetur penitus à Divinis. Et, si per triduum ibi steterint, licet ex tunc recesserint, vel ad alia loca se transtulerint, vel præda seu spolium <sup>\* alias</sup> deductum fuerit, nihilominus Parochia seu locus, in quo triduo manserint, vel ubi præda consumpta fuerit, maneat per duos menses interdi-